

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput XLIX. Continens Historiam, De Conspiratione Pharisaeorum Cum
Herodianis, Propter Praecedens Miraclum: De Secessu Christi: Quid In
Secessu Illo Egerit: Et Quae Turbae Ipsum Secutae Sint, ...

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

CAPUT XLIX.

CONTINENS HISTORIAM, DE CONSPIRATIONE PHARISÆORUM CUM HERODIANIS, PROPTER PRÆCEDENS MIRACLUM: DE SECESSU CHRISTI: QUID IN SECESSU ILLO EGERIT: ET QUÆ TURBÆ IPSUM SECUTÆ SINT, MATTHÆI 12. MARCI 3. LUCÆ 6.

RATIO ORDINIS.

DE hac consecutione historiarum nulla potest esse controversia. Tribus enim Evangelistis simul propositum fuit describere, quid post & propter miraculum sanatae manus aridæ in Galilæa consecutum sit, & apud adverfa-

rios Pharisæos, & apud turbas sectatrices Jesu. Non autem unius diei historia est, sed aliquantò longiusculi temporis, quo in secessu illo mansit Jesus: sicut in explicatione circumstantiarum ostendemus.

HISTORIA DE CONSPIRATIONE PHARISÆORUM CUM HERODIANIS: ET DE SECESSU JESU AD MARE: QUIDQUE IN ILLO SECESSU ACTUM SIT.

MATTH. 12.

14. Οἱ δὲ Φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον κατ' αὐτὸν ἐξελθόντες, ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσιν.
15. Ὁ δὲ Ἰησοῦς γινῶσκων ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς πάντας.
16. Καὶ ἐπετίμησεν αὐτοῖς, ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσιν.
17. Ὅπως πληρωθῆ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἠσαΐου ὁ προφήτης, λέγοντος·
18. Ἰδὲ ὁ παῖς μου, ὃν ἠρέτισα ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχὴ μου. Θύσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτὸν καὶ κρείσσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ.
19. Οὐκ ἠρίσει, οὐδὲ κραυγάζσει, οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τῆς φωνῆς αὐτοῦ.
20. Κάλυμνον συντριμμένον ἔκαταΐξει, καὶ λίνον τυφόμενον ἔσθψει, ἕως ἃν ἐκβάλῃ εἰς τὴν κρείσιν.
21. Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλαπίσωσι.
14. Porro Pharisei egressi ceperunt consilium adversus eum, quomodo illum perderent.
15. At Jesus ubi novisset, secessit illinc, secutusq; sunt eum turbae multae, & sanavit eos omnes.
16. Et interminatus est illis ne facerent manifestum.
17. Ut compleretur, quod dictum erat per Esaiam Prophetam, qui ait:
18. Ecce Filius meus, quem elegi, dilectus meus, in quo sibi bene complacuit anima mea: ponam Spiritum meum super illum, & iudicium Gentibus annuntiabit.
19. Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet quisquam in plateis vocem ejus.
20. Arundinem comminutam non confringet, & limum fumigans non extinguet, donec ejiciet ad victoriam iudicium.
21. Et in nomine illius Gentes sperabunt.

MARC. 3.

6. Καὶ ἐξελθόντες οἱ Φαρισαῖοι εὐθέως μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν συμβούλιον ἐποίησαν κατ' αὐτὸν, ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσι.
7. Καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀνεχώρησε μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς τὴν θάλασσαν, καὶ πολὺ πλῆθος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἠκολούθησαν αὐτῷ, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας.
8. Καὶ ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας, καὶ πέραν τῆς Ἰορδάνης, καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνος, πλῆθος πολὺ, ἀκούσαντες ὅσα ἐποίησε, ἤλθον πρὸς αὐτόν.
9. Καὶ ἔπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα πλοίαριον προσκατέρρι αὐτῷ, διὰ τὸν ὄχλον, ἵνα μὴ θλίβωσιν αὐτόν.
10. Πολλοὶ γὰρ ἐθεράπευσεν, ὥστε ἐπιπίπτειν αὐτῷ, ἵνα αὐτὸς ἀψανταί, ὅσοι ἔχον μαστιγὰς.
11. Καὶ τὰ ἀνεύματα τὰ ἀκάθαρτα, ὅταν αὐτὸν εἶδωσι, προσέπιπτεν αὐτῷ, καὶ ἐκραζέε λέγονταί· ὅτι σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.
12. Καὶ πολλὰ ἐπετίμα αὐτοῖς, ἵνα μὴ αὐτὸν φανερὸν ποιήσωσι.
6. Egressi verò Pharisei statim, unâ cum Herodianis consilium inibant adversus eum, ut illum perderent.
7. Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare. Et ingens multitudo à Galilæa secuta est eum, & ab Iudæa.
8. Et ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum habitabant ac Sidonem, hominum multitudo magna, qui cum audissent quæ faciebat, venerunt ad eum.
9. Et iussit discipulis suis, ut navicula sibi defervirent propter turbam, ne ipsum premerent.
10. Multos enim sanaverat ita ut irruerent in eum, quò illum tangerent, quotquot affligebantur.
11. Et Spiritus immundi, cum illum vidissent, procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es Filius Dei.
12. Et vehementer interminabatur eis, ne se manifestum facerent.

LUCÆ 6.

LUCÆ 6.

11. Αὐτοὶ δὲ ἐπλήσθησαν ἀνοίας, καὶ διελάλουν πρὸς ἀλλή-
λους, τί ἂν ποιήσαιεν τῷ Ἰησοῦ.

11. *Ipsi autem repleti sunt amentia, & colloquebantur
inter sese, quidnam facerent Jesu.*

HARMONIA HUIUS HISTORIÆ DE CONSPIRATIONE PHARISÆO-
RUM : ET DE SECESSU JESU, EX DESCRIPTIONIBUS,
MATTH. 12. MARCI 3. ET LUCÆ 6. IN UNUM
CORPUS COAGMENTATA.

Ἐ Αὐτοὶ δὲ ἐπλήσθησαν ἀνοίας, καὶ διελάλουν πρὸς
ἀλλήλους, τί ἂν ποιήσαιεν τῷ Ἰησοῦ. Ἐ Καὶ ἐξελθόντες οἱ
φarisαιοὶ ἔβουθῆσαν μὲν τῶν Ἡρωδιανῶν συμβέβλιον ἐποι-
εον ἂν ἐλαβον συμβέβλιον ἐκατ' αὐτῶ, ὅπως αὐτὸν δαπα-
λώσωσι. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀγνοῶν, ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν ἔχων
τῶν μαθητῶν αὐτῶ πρὸς τὴν θάλασσαν. Ἐ Καὶ ἠκολού-
θησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ. Ἐ Πολὺ δὲ πληθύνθη δόξα τῆς
Γαλιλαίας ἠκολούθησαν αὐτῷ, καὶ δόξα τῆς Ἰουδαίας, καὶ
δὲ τῆς Ἱερουσαλὴμ, καὶ δὲ τῆς Ἰδαμαίας, καὶ πέραν τῆς
Ἰορδάνης, καὶ οἱ παρὰ Τύρον καὶ Σιδῶνα, πλήθυνον πολὺ,
ἀκούσαντες ὅσα ἐποίησεν, ἦλθον πρὸς αὐτὸν. Ἐ Καὶ εἶπε τοῖς
μαθηταῖς αὐτῶ, ἵνα πλοιάριον προσκαρτερῇ αὐτῷ, ἵνα
τὸν ὄχλον, ἵνα μὴ θλίβωσιν αὐτὸν. Πολλὰ δὲ ἐθερά-
πευσεν, ὡς ἐπιπίπτειν αὐτῷ ἵνα αὐτῶ ἀνασταθῶν ὅσοι
εἶχον μάστιγας. Ἐ Καὶ ἐθεράπευσεν αὐτῶ πάντας.
Ἐ Καὶ τὰ πνεύματα τῶ ἀκάθαρτα, ὅταν αὐτὸν εἶδω-
ρει, προσέπιπτον αὐτῷ, καὶ ἐκραζέοντες λέγοντες· τί σὺ εἶ ὁ
υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Ἐ Καὶ πολλὰ ἐπετίμησεν αὐτοῖς, ἵνα μὴ
αὐτὸν φανερῶν ποιήσωσιν. Ἐ ὅπως πληρωθῆναι τὸ ῥῆθὲν Δα-
νιῆος ἡ προφήτου, λέγουσι· Ἰδὲ ὁ παῖς μου, ὃν κρέπα-
σα, ὁ ἀγαπητὸς μου, εἰς ὃν ἐνδόκησεν ἡ ψυχὴ μου. Ἰησοῦς τὸ
πνεῦμα μου ἐπὶ αὐτὸν, καὶ κρισὶν τοῖς ἐθνεσιν ἀπαγγε-
λεῖ. Οὐκ ἐρίσει, ἢ δε κραυγῶσει, ἢ δε ἀκῶσει τί ἐν ταῖς
πλαταδαῖς τῶ φανῶν αὐτῶ. Κάλυμνον συντεταγμένον ἢ
κατεσθῆναι, καὶ λίνον τυφόμενον ἢ σβῆσαι. εἰς ὃν ἐπιβάλῃ
εἰς νῆον τῶν κρισὶν. Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτῶ ἐθνη ἐλ-
πίσει.

*c Ipsi autem repleti sunt amentia, & colloquebantur
inter sese, quidnam facerent Jesu. e Et egressi Phari-
sæi b statim cum Herodianis consultationem fecerunt,
a & consilium ceperunt, e adversus eum, ut, (sen)
quomodo ipsum perderent. Jესus vero a cum novisset,
secessit illinc b cum discipulis suis ad mare. a Secutus
sunt eum turba multa. b Ingens enim multitudo à Ga-
lilea secuta est eum, & ab Iudæa, & ab Hierosoly-
mis, & ab Idumæa, & trans Jordanem, & qui cir-
ca Tyrum habitabant, ac Sidonem, hominum multi-
tudo magna, qui cum audivissent quæ faciebat, ve-
nerunt ad eum. Et iussit discipulis suis, ut navicula
sibi deseruirent propter turbam, ne ipsum premerent.
Multos enim sanaverat, ita ut irruerent in eum, quò
illum tangerent, quotquot affligebantur. a Et sanavit
eos omnes. b Et Spiritus immundi, cum illum vi-
dissent, procidebant ei & clamabant, dicentes: tu es
Filius Dei. e Et vehementer interminabatur eis, ne
se manifestum facerent, a ut compleretur quò dictum
erat per Esaiam Prophetam, qui ait: Ecce servus
meus, quem elegi, dilectus meus, in quo sibi bene
complacuit anima mea, ponam Spiritum meum super
illum & iudicium gentibus annuntiabit. Non contem-
det, neq; clamabit, neq; audiet quinquam in plateis
vocem ejus. Arundinem comminutam non confringet,
& linum fumigans non extinguet: donec eiciat ad vi-
etoriam iudicium. Et in nomine ejus gentes sperabunt.*

Periocha hujus Historia.

Quid ex præcedenti miraculo sanatæ manus
Quaridæ, & apud Phariseos observatores, &
apud turbas sectatrices Jesu consecutum sit, in
hac parte historiae exponitur. Et ostenditur in
hac historia, quo tandem evadat mens humana,
quando non solitam pietatem, sed umbratiles
tantum ceremonias in cultu divino sectatur:
item, quando non habet studium inquirendæ ve-
ritatis, sed præsumptis aut præconceptis opinio-
nibus servit. Christus enim in præcedenti historia
rationem facti sui planissimam ita reddiderat, ut
vi ac luce veritatis ita conficti Pharisei, nihil
quod contradicant, inveniant, sed tacere cogantur.
Nunquid igitur convicti, abjecto errore,
veritati cedunt? Nequaquam, inquit, Lucas.
Non enim ad sanior mentem reducuntur, sed
(repletur amentia.) Et consideranda est phrasis
vocabuli ἀνοίας. Mens veritate convicta debebat
ad sanitatem, quasi ad se ipsam redire: sed illud
non facit, ubi occupata est, obstinata malitia,
quin potius quando ita convicta est, ut contradi-

cere non possit, repletur amentia. Homo initio
ad imaginem Dei creatus, habuit πρόνοιαν perspi-
caciae veritatis: per lapsum verò amissa luce ve-
ritatis incidit in ἀνοίαν. Deus igitur ex immensa
misericordia lucem verbi sui accendit, ut reducat
nos ad μετάνοιαν, hoc est, ad meliorem & sanior mentem.
Sed tanta est malitia mentis humana, ut
inde multi incidant in ἀνοίαν. Et Lucas hoc loco
vocat ἀνοίαν, quando homo quasi amittit mentem
seu sensum communem, & fertur tanquam belu-
na rabie, quasi nihil intelligens, nihil cogitans, ni-
hil iudicans, & summam, quasi sine mente sit,
quod Paulus Rom. i. v. 28. vocat ἄνομιον, mens
quæ sine omni cogitatione & iudicio in flagitia fer-
tur. Potest verò etiam ita intelligi, quod impleti
sint furore & insania. Nam Plato 2. de Republ. hoc
vocabulo utitur, de specie quadam furoris seu in-
sania. Designare aliquid mali λέγει μανίαν ἢ ἀνοίαν,
præ furore vel amentia & insania quadam.

Ex illo autem furore consecutum est, sicut Ev-
angelistæ dicunt: (Colloquebantur inter se, quid-
nam

nam facere Jesu, & consilium ceperunt cum Herodianis &c.) Quæ narratio multa monet. 1. Hypocritism, invidiam, & malitiam nec veritate, nec beneficiis, nec moderatione posse placari, nedum separari: quod tamen in aliis vitiis fieri solet. Cum enim Christus facti sui rationem, exposita vera de sanctificatione sabbati sententia, tanta perspicuitate reddidisset, ut tacere cogerentur Pharisei: cumque illustre beneficium calamitoso homini præstitisset, idque adhibita ea moderatione, ut nec ipse tangeret manum, nec iuberet illum aliquid operari vel portare in sabbato, ne quam occasionem criminandi ipsis præberet, (manum enim extendere sabbatis, ne apud ipsos quidem Phariseos prohibitum erat) tamen non placati fuerunt Pharisei, sed eo ipso magis irritati & effrenati, ut jam de perdendo ipso consulent.

Ostenditur, quæ sit methodus disputationum hypocritarum contra veritatem. Pharisei enim hæcenus propositis quæstionibus disputarunt contra Christum: Sed jam cum se disputando contra veritatem nihil proficere vident, (tacere enim coguntur) convertunt se ad alias artes: ut scilicet armatis & cruentis disputationibus, adhibito brachio & gladio seculari, ipsum refutent. Ordo autem historiae ita se habet. Primò inter se colloquantur, sicut Lucas inquit, quid faciant Jesu. Sed quia vident gladium sibi à Romanis creptum, Johan. 18. v. 3. 1. mox igitur egressi consilium (cum Herodianis,) hoc est, cum præfectis Herodis Tetrarchæ, ineunt: quomodo ipsum perderent. Galilæa enim erat sub ditione Herodis. Συμβόλιον significat & ipsum cœtum consultantium, & ipsam etiam consultationem. Quod igitur Marcus dicit (ἐπιὼν συμβόλιον,) significat ipsos convocasse seu cœgisse concilium. Matthæus verò, cum inquit, (ἐλαθον συμβόλιον,) significat ipsum consilium, quod habitâ publicâ consultatione inierunt, de perdendo Jesu. Utuntur autem particula (ὅπως) quæ indicat, utrumque deliberatum fuisse, ut perderent, & quomodo ipsum perderent: non occultè scilicet, sed publico supplicio.

Unde terciò notandum est, quòd Pharisei non statim ad ipsum Herodem accusationem derulerunt, (is enim diu post, Matth. 14. v. 1. primùm audit de Christo) idque sine dubio ideo fecerunt, quia videbant, Herodem indulgentius & remissius agere cum Baptista, quem tunc adhuc in vinculis tenebat. Cum igitur aulicas artes non ignorarent, quomodo regis etiam non malus animus depravari posset, cum præfectis & aulicis Herodis consilia agitant, quomodo inflammari possit regis animus, ut Jesum perderet. Non enim volebant clam ipsum tolli, sed ut publico iudicio, juxta legem, Num. 15. v. 35. tanquam violator sabbati damnatus per Herodem occideretur: ut hac ratione doctrina ipsius animis hominum eriperetur.

Quarto notandū est & hoc, cum inter Phariseos, ut vindices publicæ libertatis, & inter Herodis tyranni familiam capitales aliàs essent inimicitias, quòd ad perdendum Christum inter se conspiciant. Tantum erat in ipsis odium contra Christum, ut mallet se in capitalium inimicorum gratiam insinuare. Ita nullæ obstant inimicitias, quò minus ad oppugnandum Christum & veritatem ejus etiam hostes mutuas operas præbeant:

sicut in passione Christi Pilatus & Herodes amici fiunt.

Observetur Emphasis, quòd Marcus inquit: (Egressi synagogâ statim consilium de perdendo Christo, idq. cum Herodianis, ineunt.) Quo præpostera hypocritarum religio indicatur. Qui enim tantopere indignantur, Christum sabbato sanasse, & quidem solo verbo, & miserum hominem: ipsi statim eodem sabbato cruenta consilia contra innocentem & beneficientem, idque cum hostibus populi Dei agitare non verentur. Hoc plus est, quàm colare culicem & deglutire camelum. Et notetur, quòd ad quæstionem (An liceat sabbatis animam hominis servare, an verò perdere) Pharisei tacentes jam ipso facto respondeant: quòd sabbato malint animam hominis perdere, quàm servare. Talis est Pharisaica religio.

Fuisse autem consultationes illas non vanas, seu non habuisse nihil periculi, inde colligitur: quod Evangelistæ dicunt, Jesum, cognitâ illâ conspiratione, secessisse cum discipulis suis ad mare. Quod non de mari magno, sed de mari Galilææ intelligo. Mox enim discipuli navicula Christo deserviunt.

Quia verò videri posset, nec personæ nec officio Christi convenire, quòd adversus armata Phariseorum consilia fugâ sibi consulit, Matthæus & Marcus multa addunt, quæ & causam & rationem illius cessionis exponunt. Ne enim fugâ illa existimaretur ministerium suum vel deserere vel abjicere velle, traxit secum magnam multitudinem ex variis locis, exercens apud illos docendo & sanando ministeria officii sui. Hoc itaque exemplo suo docet Christus, licitum quidem esse aliquando furori adversariorum cedere, & persecutiones declinare: sed ita tamen, ne fiat illud cum desertione aut abnegatione ministerii. Sequela verò turbarum ostendit, in media etiam persecutionis rabie non sine fructu doctrinam & miracula Christi abiisse. Furentibus enim Phariseis, sapientibus, Herodianis, potentibus, turbæ Christum sequuntur, juxta dictum 1. Cor. 1. v. 26. & 27. Et quidem fructus ille doctrinæ & miraculi Christi apud turbas illustri confessione ostenditur: quòd non verentur ipsum sequi, tunc, cum non Pharisei soli, sed adjuncto etiam brachio (sicut vocant) seculari, Christum oppressuri videbantur. Item: ne fuga illa Christi vel timiditati fugientis mortem, vel imbecillitati, quasi vitam aliter non posset quàm fugâ tueri, tribueretur: Evangelistæ dicunt, quòd secedentem ipsum secutæ fuerint multæ turbæ, quodque omnes sanarit: ita ut locus illius fugæ non essent obscuræ latebræ, ignotus angulus. Multis enim insignibus miraculis brevi adeò illustri reddebatur, ut ex omnibus locis, cum audissent, quæ Jesus ibi faciebat, in locum illum secessionis ad ipsum confluerent. Et Marcus loca illa sigillatim enumerat à Galilæa, Judæa, Hierosolymis, Idumæa, præterea trans Jordanem, & ex locis circa Tyrum & Sidonem. Illa verò enumeratio ita distinguenda est. Ut primò ex Galilæa, ubi in Synagoga fecit miraculum, intelligantur turbæ ipsum secedentem secutæ. Cum verò in secessu apud illos Galilæos multa ederet miracula, fama illa sparsa est per totam regionem. Cumque ubique audiretur, quid

quid Jesus in loco illo secessionis faceret, undiq; ad ipsum turbæ turmatim confluerunt: non in primo die secessionis, sed postea, cum ubique hoc audiretur. Per aliquod igitur tempus Jesum in illo secessu mansisse, inde colligitur. Addunt autem hanc enumerationem turbarum Evangelistæ, ut ostendant, rabiem & persecutionem adversariorum non opprimere aut extinguere Evangelium. Ex illo enim secessu Christi odor Evangelii latius in omnes mundi partes sparsus est, non tantum ad Judæos, verum etiam ad vicinas gentes, sicut chorographia illorum populorum, qui enumerantur, ostendit. Galilæa enim, Judæa, Hierosolymæ, Peræa, hoc est, regio trans Jordanem, regiones sunt Judæorum: Idumæa verò, loca circa Tyrum & Sidonem, & in Peræa Decapolis, gentium regiones. Quod prælium fuit, ut regnum Dei à Judæis repellentibus auferretur & traderetur gentibus, utque universalis vocatio gentium insinuaretur, ideo regiones gentium, ad quatuor angulos mundi sitæ, enumerantur. Idumæa enim ad meridiem, Syrophœnicia circa Tyrum & Sidonem ad occasum & septentrionem: Decapolis cum Peræa gentium ad orientem sita est. Habuit igitur tunc Jesus in illo secessu pulcherrimam circa se Ecclesiam ex variis regionibus & gentibus.

Miracula verò, quæ ibi edidit, Evangelistæ duobus generalibus capitibus complectuntur, sanatione scilicet infirmorum, & ejectione dæmoniorum. Idque ideo, quia in his duobus consistit officium Christi: 1. ut caput serpentis conterat. 2. ut homines à potestate Satanae liberatos salvet. Illud verò ut peculiare hoc loco notat Marcus: Cum Christus verbo & contactu multos sanasset, quod reliqua turba tantam inde concepit fiduciam, ut non dubitarent se sanari, etiam si ipse nec alloqueretur nec attingeret eos, modò ipsi possent Christum contingere. Quod ad rationem & exercitia veræ fidei pertinet, ne cogitemus, si hoc vel illo modo juvaret, sed si modo Christum fidei amplectamur, ut certam auxilii fiduciam concipiamus. Cum verò certatim conarentur ipsum tangere, premeo irruebant in ipsum, stantem in ripa lacus: ideo iussit, ut semper in promptu & ad manum adesset navicula, (hoc enim significat verbum προσκαρτερεῖν,) in quam possit ascendere, ne in lacum protruderetur à turba propellente. Et hoc ipso veritatem & infirmitatem assumptæ humanæ naturæ ostendere voluit. Morbos Marcus vocat hoc loco μάστιγας, flagella, ἕλκη, ut ostendat, 1. morbos esse poenas peccati divinas, & à Deo immitti. 2. ut significet morbos graviores & sæviores. Ita enim poenæ dividuntur, in virgam & flagellum, 2. Regum 7. v. 14. & Psalm. 89. v. 33. Et hæc ab Evangelistis ita describuntur, ut ostendant, Christum non ob impotentiam, quasi non potuisset miraculo potenter se tueri, nec etiam timore mortis fugisse, sed 1. quia tempus passionis, à Patre decretum, nondum venerat, ne Deum tentaret. 2. Quia tunc nondum erat tempus manifestæ ostensionis divinæ virtutis, sed exinanitionis. In ipsa tamen exinanitione secessionis seu fugæ divinam virtutem non obscure ostendit: Primò multis miraculis: Deinde, quòd ibi tutus esse poterat. Locus enim secessionis Pharisæis non po-

tuit ignotus esse, cum in Idumæa & Syrophœnicia de illo audiretur. Præcipuè verò observandum est, quòd Marcus inquit, tunc, cum hominibus ex infirmitate videbatur fugere, ostendit, ipsas inferorum portas sibi subjectas esse. Spiritus enim immundi, in hominibus obsessis, conspectum ipsius ferre non poterant; sed priusquam aliquid ipsis loqueretur, procidebant ei, magno clamore confitentes: (*Tu es filius Dei.*) Quare verò noluerit testimonia à Spiritibus immundis accipere, quia etiam vera dicendo ad fraudes viam & compendium sibi parant, supra explicatum est. Et apud Marcum quidem interminatio illa, ne se manifestum facerent, videtur referri ad Spiritus immundos. Apud Matthæum verò expressè turbis dicitur, ad quas etiam Relativum apud Marcum referri potest: ne scilicet famam miraculorum spargerent, id quòd propter duas potissimum causas prohibuit. 1. Quia nondum tempus erat glorificationis, sed exinanitionis. 2. Quia turbæ verum finem & usum miraculorum nondum satis tenebant: sed ut regnum Messia: externum & corporale somniabant, ita externa tantum in Christo quærebant & celebrabant.

Porrò in fine hujus historia: Matthæus pulcherrimam sententiam Esaiæ ex cap. 42. v. 1. & seq. allegat: 1. ut causam reddat, quare Christus maluerit fugere, quam miraculis & manifestâ potentia vitam contra Phariseos tueri: 2. quare turbis interdixit, ne se manifestum facerent: 3. quòd turbas, adhuc valde carnaliter de se sentientes, placidè tamen admisit: 4. quia sectatores habebat ex Idumæa, Syrophœnicia & Decapoli: ideo ex hoc dicto Esaiæ futura vocatio Gentium insinuat. Quòd itaq; Matthæus dicit, ut impleretur Esaiæ dictum, hanc habet sententiam: Christum ipso facto in hac historia ostendisse, se ministerium suum obire, & officium suum administrare, eo profus modo sicut per Prophetas Deus prædixerat.

Multa autem complectitur illa Esaiæ sententia. Nos de iis, quæ ad propositum Evangelistæ faciunt, tantum capita signabimus. Vulgaris erat Judæorum persuasio, Messia: adventum regio splendore & externa potentia insignem futurum. Et quia huic præsumptæ ipsorum opinioni nec persona, nec vita, nec administratio officii Christi respondere videbantur, reclamabant, ipsum non esse Messiam. Huic igitur offensionis, quam ex infima exinanitionis Christi specie in hac historia concipere quis posset, Evangelistæ opponit descriptionem Messia: quam ipse Deus tanquam paradoxon quoddam in Esaiâ proposuit, cum inquit: (*Ecce servus meus.*) Primum autem de persona loquitur. Et in Græco quidem posset ambiguitas esse: an παῖς significet vel filium, vel servum. Sicut Erasmus ideo reddidit filium, sed in Ebræo & Syro עבד nunquam filium, sed servum significat. Et in Chaldæo appellationem inde habet, quòd aliquid inunctum sibi efficiat, & exequatur. Apud Ebræos verò ille etiam, qui conditione non est servus, ex quadam animi humiliatione & submissione propter obsequendi & obediendi studium, vocat se servum alterius. Appellat igitur Deus Messiam servum ratione ministerii, doctrinæ & redemptionis, ad quòd in forma servi missus est: ut simul & missio ad ministerium, & infima

infima species exinanitionis, qua Patri obediens factus est, Philip. 2. v. 8. vocabulo servi significatur. Ne verò humili illa specie servi quis offendantur, exponit ipse Deus, qualis sit illa persona: (*Eleususcilicet Dei.*) Hoc autem fuisse usitatum epitheton Messiae, ex verbis illis Iudaeorum colligitur, quae extant Luca 23. v. 35. Salvet se ipsum, si est Christus electus Dei. Hebraeis autem vocabulo מַלְאָכִים appellantur, qui ex reliqua turba ad publicum aliquod officium deliguntur: vel qui reliquis praeferuntur, & prae reliquis in pretio habentur, & diliguntur. Cumque Matthaeus ea tantum, quae ad suum propositum facere iudicavit, allegare vellet, alterum verbum in dicto Esaia, quod sustentare significat, omisit. Nomen verò מַלְאָכִים dupliciter reddidit, & per verbum αἰετιζων, vel ἐκλέγειν eligere ac complecti aliquem, & per nomen, ἀγαπητός: quòd Evangelista ideò addidit, ut ostenderet vocem Patris, quae Matth. 3. v. ult. è caelo sonuit ex hac Esaia sententia sumptam esse. Quae verò de illa complacentia Patris dicenda essent, supra in historia baptismi Christi sunt explicata.

Secundò loquitur hæc sententia Esaia de officio Messiae, quod Iudaei putabant fore in magnifica externæ dominationis administratione, & ideo Jesum, qui tantum concionaretur, & quidem in magna infirmitate, recipere volebant. Evangelista igitur ostendit: Deum quasi intento digito, cum inquit: (*Eccc.*) monstrare, hoc ipsum fore ministerium Messiae. (*Ponam spiritum meum super ipsum, & iudicium gentibus annuntiabit.*) Quomodo verò spiritu sancto unxit Christum, in historia baptismi Christi, & Luca 4. explicatum est. Porro, patefactionem verbi de essentia & voluntate Dei vocari iudicium notum est ex Ps. 101. v. 1. & 147. v. 19. & 20. Cumque iudicium Legis antea per Moysen fuerit traditum: aliud iudicium, quòd Messias proferet, Evangelii scilicet. Cumque hæc angustias Palaestinae quasi inclusa fuerit patefactio doctrinae coelestis: Jam Messias illam proferet, educet seu efferet, sicut 70. reddiderunt, ἐξοισα, etiam ad gentes, cuius praeludium est, quòd hoc loco ex Idumæa & Syrophœnicia ipsum comitantur.

Tertiò modum, quo Messias ministerium & regnum suum administraturus sit, describit: (*Non contendet, non clamabit, nec audietur vox eius in plateis.*) Vocabulum, quod Matthaeus reddidit ἐξοισα, non vult, quod Christus non sit reprehensus peccata, pravam doctrinam & superstitiones cultus, sed Hebraicè פַּחַד significat clamorem, vel querulum, vel imperiosum, iracundum, minacem. Ut quando à Rege populus conclamatur, ad vindicandam injuriam, & ad faciendam impressionem in hostes. Ita enim usurpatur, Iud. 7. v. 23. & 24. & 10. v. 17. & 1. Reg. 13. v. 4. Et hinc intelligi potest, quomodo explicandum sit vocabulum ἐκλέγειν apud Matthaeum, quo etiam Græci interpretes, 1. Reg. 12. v. 14. pro rebellionem utuntur. Syrus habet verbum מַלְאָכִים quod significat, quando quis irritatus ex iracundia litigat, contendit cum aliquo. Et ita Matthaeus reddidit ἐκλέγειν. Sensus igitur est: Messias non ostendit divinam & formidabilem suam potentiam adversus rebelles, ut ipsos vel ad faciendum officium cogat,

Harm. Tom. I.

vel statim extinguat: nec peccatores, vel calamitosos, vel infirmæ fidei duriter, asperè imperiosè, minaciter excipiet; sed accedentes placidè amplectetur. Quòd verò in Esaia sequitur, (*Non levabit clamorem, nec vox audietur in plateis, &c.*) ostendit, quòd non pro magnificentia gloriae suae se geret, ut in omnibus plateis celebretur: ideò hostibus cedit, miseraturbas circum se habet, & quidem etiam quando miracula edit, prohibet, ne se manifestum faciant. Tota verò sententia de clamore in plateis, ex antithesi simplicissimè intelligi potest. Reliqui reges in adventu suo plateas, urbes, imò totas regiones regiae magnificentiae strepitu & tumultu complent, atq; hoc affectant, ut magnificentia regia conspicua sit omnibus, longè lateque spargatur, & in omnibus plateis resonet & celebretur. Si quis regem illum vel contemnat vel oppugnet, cum illo omnibus viribus contenditur, conclamantur undique omnes, ut ad vindicandam regis injuriam accurrant. Deus verò prædicit, Messiam non hoc modo ministerium & regnum suum administraturum, sed in humili & infirma exinanitionis specie: Non clamabit, non audietur in plateis vox eius.

Quartò exponitur in hac Esaia sententia causa, quare Messias non apparuerit in primo adventu in sua gloria: quòdque ne nunc quidem regnum suum in hoc mundo ita administret, ut divinam suam potentiam conspicuo & illustri modo exereret. Estque pulcherrimum dictum: (*Arundinem conquassatam non confringet, &c.*) Hoc est: Natura nostra peccato corrupta & miseris pressa, est tanquam debilis & infirma arundo, quae modo erecta est, mox in hac mox in illa parte tempestatibus calamitatum deprimitur. Imò est tanquam conquassata arundo, quae sanè non posset ferre & sustinere gloriam & potentiam filii, si secundum eam nobiscum ageret, sed confringeremur. Quid enim futurum sit in extremo die, quando peccatoribus non reconciliatis manifestà suà potentia & gloria apparebit, describitur, 2. Thess. 1. 8. & 7. Apoc. 1. v. 7. Ut igitur arundinem quassatam non confringere, sed alligare, sanare, erigere, sustentare & roborare, linum fumigans non extinguere: sed sufflando fovere & succendere posset, elegit infirmam illam speciem, sub qua officium, ministerium & regnum suum exequeretur & administraret. Hoc verò pertinet ad totum tempus, usque ad secundum gloriosum adventum Christi. Non igitur offendamur, quòd Filius Dei, sub tali infirma specie, regnum suum apud nos administrat, nec abutatur illa mansuetudine Christi: propter nos enim hoc facit, ne arundo quassata confringatur, sed ut sanari possit. Extrema enim stultitia est, ideò minus honorificè de Christo sentire, quòd ultrò ad nostrum modulum se demittit. Discamus igitur immensam illam bonitatem, comitatem, clementiam & mansuetudinem Christi Salvatoris nostri agnoscere, admirari & exosculari, quòd ita se nostrae infirmitati attemperat, non rejiciens, non imperiosè tractans imbecillitates nostras, sed tolerans & sublevans eas. Vocat autem arundinem oppressam, collisam, conquassatam seu fractam, sicut Ebraum vocabulum significat: vel dilaceratam, concertam, sicut Syrus reddidit, qua similitudine, vel in genere

L I

re miseria

re miseria humanæ naturæ, vel cor contritum & Spiritus contristatus ac contribulatus, significatur. Per (*linum*) obscuratum, cujus lumen vel extinctum vel nondum clarè accensum est, sed scintillis quibusdam non tam luget, quàm (*fumigat*) significatur & fidei & aliorum donorum spiritualium infirmitas, quam Christus non abjicit, (*non extinguit*), sicut candelas fumigantes & ipso fumo malè scetentes nos solemus vel abjicere, vel extinguere. Sed Christus tolerat nostras infirmitates, fovens nos, suppeditans oleum donorum spiritualium, ut lumen plenius & clarius in nobis accendat. Ita dulcissimas consolationes præbent hæ similitudines. Chrysostomus similitudines illas refert ad ipsos adversarios, quibus ideo parciit filius Dei ne confringantur, sed ut sanari aliquando possint. Ita Hilarius inquit: Tam facilè erat ei omnes frangere, sicut arundinem, quæ jam contrita est: & accensum ipsorum furorem tam facilè posset extinguere, ut cum quis lucernam fumantem extinguit. Augustinus lib. 20. de civit. persecutores suos comparavit calamo quassato, & lino fumiganti, & tamen illis pepercit: quia non venerat judicare, sed judicari.

Vocabulum Lini quid per se significet, notum est. Usus autem ejus fuisse in ellychniis, hoc est, in lucernarum funiculis, restantur exempla, Esa. 43. v. 17. Sicut linum extincti sunt. Jud. 15. v. 14. & 16. v. 9. Funes super brachia erant sicut lina, quæ accenduntur. Το Φύμενον verò respondet Hebraico, quod significat non lucidè splendere, sed obscurum esse: sicut quando deficiente oleo flamma in ellychnio sensim deficit. Græcum verò τὸ Φω usurpatur de fumo, & sæpe jungitur cum καπνός, ut, τὸ Φω καπνόν, fumum excito. Apes τὸ Φύμενον καπνός. Item civitatem καπνὸς τὸ Φω, fumo infestare. Hinc Augustinus sumit, quòd linum fumigans infestum sit oculis & naribus, quia foetet: & tamen filius Dei illam foetentem nostram infirmitatem non abjicit. Sed plenior declaratio hujus sententiæ, de arundine quassata & lino fumigante, pertinet ad justam explicationem.

Postremò ostendit Deus in illo loco Esaiæ, illam infirmam exinanitionis speciem non obitare virtuti & efficacæ officii, ministerii & regni Christi: ne tristes cogitemus, regnum illud ratione infirmitatis non posse subsistere, aut nullam fore ejus in tentationibus, calamitatibus & perse-

cutationibus utilitatem, virtutem & efficaciam. Virtus enim Messia nostri in infirmitate perficitur, Cor. 12. v. 10. ideo inquit: (*Non deficiet, nec caligabit, donec ponat in terra judicium.* Item, *in veritate, vel ad veritatem educet judicium.*) Quibus verbis ostendit, judicia hominum de Ecclesia & de credentibus variare, mutari, hallucinari, falli. Sed Christus tandem ad veritatem educet judicium ac tandem ponet, hoc est, firmum esse ostendet in terra, in extremo judicio. Has duas sententias Esaiæ Matthæus ita complectitur: (*donec ejiciat judicium ad victoriam, &c.*) Hoc est: Licet regnum illud infirmitatis variè oppugnetur, & quasi succumbere videatur; tandem tamen prævalebit contra omnium hostium conatus & potentiam, imo contra credentium etiam opiniones & cogitationes. Vocabulum enim Victoriam, luctam & pugnas contra diabolum, mundum & carnem præcedere indicat, unde in magna infirmitate, tandem tamen, consummato certamine, regnum ejus emerget & eluctabitur. Id quod sæpe in hac vita illustribus exemplis ostendit, ac tandem in extremo judicio publica sententia ostendet se victorem, positus omnibus hostibus scabellum pedum suorum. Et particula, (*Donec*) indicat, Christum, licet aliquando taceat, & quasi dissimulare ac suos negligere & deserere videatur: non tamen conquiescitur, donec judicium ad victoriam educat seu perficiat. Ne verò offendantur infirmiores, videntes eos, qui præcipui erant apud Judæos, non tantum non accipere, sed hostiliter persequi Christum, addit ex Esaiæ vaticinium: fore, ut regnum Dei auferatur à Judæis, & detur gentibus. Verba Esaiæ sunt: Legem ejus insulæ expectabunt. Matthæus sensum ita reddidit: (*in nomine ejus gentes sperabunt.*) Quæ verborum permutatio docet, in nomine Christi credere seu sperare, nihil aliud esse, quàm legem Christi, hoc est, promissionem Evangelii cum desiderio & gaudio accipere, & ei credere. Et hanc postremam particulam Evangelista propterea addidit, quia in hac historia, Pharisæis furentibus, ex Idumæa, Tyro, & Sidone gentes ad Christum confluerant. Hæc sunt capita sententiæ illius Esaiæ, quæ quomodo ad Evangelistam propositum accommodandæ sint, manifestum est. Plenior autem ejus explicatio non est nostri instituti, sed ad commentaria pertinet.

CAPUT L.

CONTINENS HISTORIAM DE EJECTIONE DUODECIM APOSTOLORUM,

MATTH. 5. MARC. 3. LUC. 6.

RATIO ORDINIS.

APUD Matthaum post præcedentem historiam subjungitur miraculum de ejectione dæmonii cæci & muti. Et quidem præcedentibus annectitur per particulam (*Tunc*) quæ videtur continuam consecutionem indicare, sed circumstan-

tia manifestè ostendunt, Matthaum hoc loco non servasse ordinem *αποδοξιας* historiarum: nec ejectionem dæmonii muti continuo post præcedentem historiam factam, vel ei statim subjungendam præcedens enim historia facta est in secessu, in littore maris: disputationem verò de Beelzebub Marcus expressè dicit factam